

§ 4. — AD ARGUMENTA CONTRA QUARTAM
CONCLUSIONEM

Ad argumenta Durandi. — Ad primum Durandi contra quartam conclusionem, dicitur quod similitudo ibi addita non valet. Unde sanctus Thomas, dist. 47, art. 1, q^{ta} 2, arguit sic (arg. 3) : « Christus secundum formam hominis judicabit, in qua corporaliter ab omnibus possit videri. Ergo videtur eadem ratione quod corporali voce loquatur, ut ab omnibus audiatur. » Ecce argumentum. Sequitur responsio : « Dicendum, inquit, quod Christus corporaliter apparebit, ut ab omnibus judex corporaliter cognoscatur; quod quidem subito fieri poserit. Sed locutio, quae tempore mensuratur, requireret temporis prolixitatem, si vocali locutione judicium perficeretur. » — Hæc ille. — Ubi sciendum quod in judicio illo erit duplex sententia. Quædam particularis cuiuslibet, qua adjudicabitur tali et tantæ pœnae, vel tali et tanto premio; et ista siet mentalis, sicut et discussio meritorum. Alia vero erit sententia generalis, una pro beatis, alia pro damnatis; et de ista generali probabile est quod fiat vocaliter, quia non requirit temporis prolixitatem, sicut prima requereret. Et de illa prima intelligit sanctus Thomas, ut credo. Unde, ubi supra (dist. 47, q. 1, art. 1, q^{ta} 2), arguit sic (arg. Sed contra) : « Sententia debet proportionabiliter respondere testimonio et accusationi et excusationi (α). Sed testimonium, et etiam accusatio, vel excusatio (ε), mentalis erit. Unde, Rom. 2 (v. 15 et 16) : *Testimonium illis reddente conscientia ipsorum, et inter se invicem cogitationum accusantium, aut etiam defendantium, in die, cum judicabit Dominus occulta hominum.* Ergo videtur quod illa sententia mentaliter compleatur. » — Hæc ille.

Ad secundum dicitur quod concludit de sententia generali, non autem de particulari, ut patet per praedicta. Et iterum, patet quod sententia plus debet coaptari accusationi vel excusationi quam ipsum judicandum; constat autem quod illa discussio erit tantum mentalis.

Ad argumentum pro quæstione (γ), respondet sanctus Thomas, dist. 48, q. 1, art. 3, in solutione tertii, dicens : « Verbum Augustini est intelligentum quando id quod apprehenditur per intellectum præcedentem, est bonum per participationem, et non per essentiam, sicut sunt omnes creature. Unde potest in eis esse aliiquid quare affectus non moveatur. Similiter etiam in via Deus cognoscitur (δ) per effectus, et intellectus non attingit ad ipsam essentiam bonitatis ejus. Unde non oportet quod

intellectum affectus sequatur, sicut sequeretur, si essentiam ejus qui est ipsa bonitas, videret. » — Hæc ille.

Et hæc de quæstione (α) sufficient. De qua benedictus Deus in æternum. Amen.

DISTINCTIO XLIX.

QUESTIO I.

UTRUM ULTIMA BEATITUDO, VEL FELICITAS HUMANA,
SIT ALIQUIS ACTUS AETERNUS

 INCA quadragesimam nonam distinctionem, quæritur : Utrum ultima beatitudo, vel felicitas humana, sit aliquis actus aeternus.

Et arguitur quod non. Quia beatitudo est homini communicabilis. Sed aeternitas non potest ei communicari : quia quod in tempore factum est, non potest esse aeternum. Ergo ultima beatitudo humana non est aliquis actus aeternus.

In oppositum arguitur. Quia ultima hominis beatitudo in Dei visione consistit. Sed in hoc consistit vita aeterna, ut patet, Johan. 17 (v. 3) : *Hæc est vita aeterna, ut cognoscant te.* Ergo beatitudo humana est aliquis actus aeternus.

In hac quæstione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objections. In tertio, solutions.

ARTICULUS I.

PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio : Quod felicitas humana, est actus, et non habitus.

Hanc ponit sanctus Thomas, dist. 49, q. 1, art. 2, in response secundæ quæstiunculae, ubi sic dicit : « Ultimus finis rei in ipsa acceptus, est id per quod res conjungitur suo fini exteriori, qui est principium perfectionis suæ. Deo autem, qui est ultimus finis rerum, res dupliciter conjungi possunt. Uno modo, per modum assimilationis; et sic dicitur illa res esse Deo conjunctissima (ε), quæ est

(α) quæstione. — quarto modo Pr.

(β) conjunctissima. — conjunctiva Pr.

(γ) quæstione. — conclusione Pr.

(δ) cognoscitur. — cognoscetur Pr.

Deo simillima. Et, secundum hoc, oportet illud in unaquaque re esse ultimum finem ejus, secundum quod maxime Deo assimilatur. Unumquodque autem ad Dei similitudinem accedit secundum quod est actu; recedit vero secundum quod est in potentia. Ideo illud per quod res maxime est in actu, est ultimus finis ejus. Alio modo, pertingendo ad ipsum Deum. Quæ quidem conjunctio soli creature rationali possibilis est, quæ potest ipsi Deo conjungi per cognitionem et per amorem, eo quod Deus est objectum operationis ejus, non autem operationis aliquius alterius creature. Quocumque autem modo consideretur ultima perfectio hominis, quæ est ultimus finis ejus, oportet eam ponere in genere actus. Si enim considereremus modum conjunctionis ad Deum quæ est communis omnibus creaturis, cum res magis sit in actu secundum quod est operans, quam secundum quod est potens operari, erit ultima perfectio uniuscujusque rei sua operatio perfecta; unde res dicitur esse propter suam operationem. Similiter, si considereremus conjunctionem quæ est appropriata rationali creature, ultima perfectio hominis in operatione consistit: habitus enim non conjungitur objecto nisi mediante actu; et ideo oportet quod beatitudo ponatur in genere actus. Tamen hæc secunda consideratione propinquius inducit in considerationem beatitudinis quam prima, quia beatitudo non est nisi rationalis creature. » — Hæc ille.

Item, ibidem (arg. Sed contra), arguit sic: « Philosophus dicit, 1. *Ethicorum* (cap. 8), quod felicitas est operatio secundum perfectam virtutem. — Præterea: Illud propter quod est res, est ultimus finis rei. Sed omnis res est propter suam operationem, ut dicitur, 2. *Cœli et Mundi* (t. c. 17). Ergo propria operatio hominis est ultimus finis ejus; et ita beatitudo est actus quidam. — Præterea: Homo secundum hoc est beatus, quod maxime pertingit ad Deum. Sed secundum hoc quod actu agit, maxime Deo assimilatur; quia sic est maxime in actu remotus a potentialitate. Ergo beatitudo hominis consistit in ejus operatione. » — Hæc ille.

Ex quibus apparet multiplex ratio in forma pro conclusione.

Secunda conclusio est quod beatitudo, seu felicitas hominis, est actus aeternitate mensuratus, vel vita aeterna.

Hanc conclusionem ponit sanctus Thomas, ubi supra (dist. 49, q. 1, art. 2), in solutione tertiae quæstiunculae, ubi sic dicit: « Vita duplice dicitur. Primo modo, ipsum esse viventis: quia, ut dicitur in 2. *de Anima* (t. c. 37), vivere viventis est esse. Ex hoc autem aliquid dicitur vivens, quod potest seipsum movere secundum aliquam actionem: unde et plantæ dicuntur vivere, ex hoc quod

movent se secundum augmentum; et animalia ulterius, inquantum movent se secundum locum, et inquantum movent se ad sentiendum; in homine autem ulterius, inquantum potest se mouere ad volendum et intelligendum. Cujuslibet autem potentiae perfectio est suus actus. Unde secundo translatum est nomen vitae ad significandum operationem ad quam aliquis seipsum movet; sicut sentire dicitur vita animalis, et intelligere vita hominis. Et, secundum hunc modum, unusquisque illam operationem suam vitam (^a) reputat, cui maxime intedit, quasi ad hoc sit totum suum esse arctatum; secundum quem modum loquendi, dicitur, *Iste dicit talem vel talem vitam*. Et sic Epicurei posuerunt beatitudinem esse vitam voluptuosam. Operatio autem non mensuratur tempore, nisi secundum quod est motui adjuncta. Unde et operations quæ non adjunguntur motui, sed termino motus, non mensurantur tempore, sed instanti, ut patet de illuminatione. Et ideo, si est aliqua operatio omnino transcendens motum, talis operatio non mensurabitur tempore, sed mensura quæ est supra tempus. Visio autem Dei, quæ ponitur esse beatitudo hominis, non potest esse actio tempore mensurata secundum seipsam, cum non sit successiva; nec ex parte videntis aut visi, cum ultrumque sit extra motum. Unde, sicut nec tempore, ita nec instanti, quod est terminus temporis, potest mensurari. Similiter nec aevum: quia ævum, secundum quod ab aeternitate distinguitur, pertinet ad creaturas immutabiles; hæc autem visio excedit naturalem potentiam creature, cum nulla creatura ex suis naturalibus ad eam possit pertingere. Unde propria mensura ejus est aeternitas. Et ideo visio Dei, quæ est ipsa beatitudo, est ipsa vita aeterna. » — Hæc ille.

Eamdem conclusionem ponit, 4 p., q. 10, art. 3, ubi sic dicit: « Aeternitas vere et proprie in solo Deo est: quia aeternitas immutabilitatem consequitur; solus autem Deus est omnino immutabilis. Secundum tamen quod alia ab ipso immutabilitatem percipiunt, secundum hoc aliqua (^b) ejus aeternitatem participant. Quædam ergo aeterna dicuntur, quantum ad hoc quod immutabilitatem sortiuntur a Deo, quod nunquam esse desinunt (^c); et, secundum hoc, dicitur, *Eccles. 1* (v. 4), de terra, quod *in aeternum stat*. Quædam etiam aeterna in Scripturis dicuntur, propter diurnitatem durationis, licet corruptibilia sint: sicut in *Psalmo* (75, v. 5) dicuntur *montes aeterni*; et, *Deuter. 33* (v. 15): *de pomis collium aeternorum*. Quædam autem amplius participant de ratione aeternitatis, inquantum habent intransmutabilitatem, vel secundum esse, vel ulterius secundum operationem; sicut

(a) *vitam*. — *vita* Pr.

(b) *aliqua*. — *aliquam* Pr.

(c) *desinunt*. — *desiderant* Pr.

angeli et beati, qui Verbo fruuntur; quia, quantum ad illam visionem Verbi, non sunt in sanctis *vulneribus cogitationes*, ut dicit Augustinus, 15. *de Trinitate* (cap. 16). Unde (a) et videntes Deum dicuntur habere vitam aeternam, secundum illud Iohannis 17 (v. 3): *Hæc est vita aeterna, ut cognoscant te, etc.* » — *Hæc ille.*

Similia dicit, 3. *Contra Gentiles*, cap. 61, ubi probat quadruplici ratione quod per visionem Dei aliquis sit particeps vitae aeternae.

Ex quibus potest fornari ratio pro conclusione, sic: Omnis operatio creata transcendens motum et terminum motus et omnem mutabilitatem, tam in actu quam in potentia, mensuratur aeternitate participative. Sed actus qui est humana ultima beatitudo, est hujusmodi. Igitur.

Et in hoc primus articulus terminatur.

ARTICULUS II.

PONUNTUR OBJECTIVES

§ 1. — CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Argumenta Scotti. — Quantum ad secundum articulum, arguendum est contra conclusiones. Et quidem contra primam arguit Scotus (dist. 49, q. 1 et 2); probando quod beatitudo non consistat in operatione.

Primo (6). Quia nullum agens est perfectius ex hoc quod per actionem suam aliquid producit. Sed operans est aliquo modo causa sue operationis. Ergo non est simpliciter perfectior per suam operationem. Beatus vero est simpliciter perfectior per suam beatitudinem. Ergo, etc. Major probatur: quia effectus non est simpliciter perfectio agentis; cum agens vel sit aequo perfectum, puta si est univocum, vel est illo perfectius, puta si sit aequivo-
cum.

Confirmatur. Quia, si simpliciter fit de imperf-
fectiori perfectius, ergo simpliciter mutatur. Inconveniens autem est agens, in eo quod agens, mutari, secundum Philosophum, 3. *Physicorum* (t. e. 9 et inde); quia tunc in eo quod esset in actu, esset in potentia.

Confirmatur etiam. Quia beatus non est causa effectiva sue beatitudinis; quia tunc beatificaret se. Est autem causa effectiva sue operationis. Ergo, etc.

Dicitur forte, quod in actu sunt duo, scilicet substantia actus, et forma a qua habet perfectionem; et, secundum primum, principium ejus est potentia naturalis; quantum ad secundum, principium ejus

est habitus. Si ergo ille sit acquisitus, etc., sicut tu ponis. — *Contra hoc arguitur.* Prius essentialiter non potest dependere ab aliqua causa, a qua non dependeat posterius essentialiter. Sed actus est prior essentialiter sua forma; alioquin non necessario illa forma praæxigeret actum ad sui esse. Ergo, si intellectus creatus est causa substantiae actus, tunc illa forma dependebit ab intellectu creato; et non nisi in aliquo genere cause, quia nihil videtur essentialiter dependere ab aliquo, quod non est causa ejus, loquendo de actu primo (z) quocumque. — *Item:* Illa forma non est nisi aliqua conditio ipsius actus. Potentia autem quae elicit actum, non elicit illum nudum, sed cum tali vel tali conditione seu circumstantia. Ergo potentia non tantum est causa substantiae actus, sed etiam illius formæ actus. — *Item*, quod habitus sit causa distincta a potentia, et alicuius distincti, non (6) videtur probabile. Tum quia non est nisi causa secunda respectu potentiae; causa autem secunda et prima non habent distinctos effectus sibi proprios; quia tunc (z) respectu neutrius esset hæc prima, et illa secunda. Tum (6) quia ille effectus proprius habitui esset necessario. forma absoluta, quia relatio non est per se terminus actionis vel agentis; non est autem probabile actionem attingentem objectum beatificum, includere duo absoluta.

Secundo principaliter arguitur sic: Quia habitus est perfectio simpliciter nobilior actu. Sed beatitudo est perfectio nobilissima. Ergo magis consistit in habitu quam in actu. Probatur major. *Tum quia*, secundum Philosophum, 3. *Topicorum* (cap. 1), bonum diuturnius (e), est melius; sed habitus est bonum diuturnius (z) seu permanentius quam actus, quia habitus est de diffcili mobilis, actus autem statim transit. *Tum quia* habitus est aliqua causa actus (alioquin (y) non facilius nec perfectius ageret habens habitum quam non habens); non autem est causa nisi effectiva (quod patet discurrendo per causas); et non effectiva univoca, ut patet; ergo aequivoca, ac per hoc nobilior.

Tertio. Quia absolutum sine contradictione potest manere absque respectu fundato in eo; quia est prius naturaliter tali respectu. Sed respectus ad objectum fundatur in operatione. Ergo operatio potest esse et manere sine respectu ad objectum. Sed sine eo non est beatitudo; alioquin esset beatitudo, et non in objecto beatifico.

Quarto. Quia nulla operatio immediate perficit essentiam, sed solum potentiam. Sed beatitudo

(a) *primo.* — *puro Pr.*

(b) *non.* — *omnino Pr.*

(y) *qua tunc.* — *tunc quia Pr.*

(z) *Tum.* — *Om. Pr.*

(e) *diuturnius.* — *diurnius Pr.*

(z) *diuturnius.* — *diurnius Pr.*

(y) *alioquin.* — *aliquando Pr.*

(a) *Unde.* — *Beati Pr.*

(b) *Primo.* — *Om. Pr.*

immediate perficit essentiam animæ. Ergo beatitudo non consistit in operatione. Minor probatur quintupliciter.

Primo. Quia nobiliori perfectioni correspondet nobilius perfectibile. Sed beatitudo est nobilissima perfectio; essentia autem est nobilius perfectibile quam potentia, secundum rem, si differant realiter, et saltem ratione, si differant ratione; quia qualis est ordo aliquorum distincotorum realiter, talis est ordo eorumdem secundum rationem, quando sola ratione distinguuntur. Prima propositio, licet habeat instantiam de perfectionibus alterius rationis secundum genus, puta de substantiali et accidentalis (siquidem perfectio substantialis, quia dat esse simpliciter, requirit perfectibile secundum quid, ens scilicet in potentia; perfectio autem accidentalis, quia dat esse secundum quid, requirit perfectibile simpliciter; ens in actu); tamen de perfectionibus accidentalibus comparatis inter se, videtur esse vera, comparando ad perfectibilia receptiva accidentium (α); quia, si imperfectius est capax alienus accidentis quod maxime perficiat illud accidentaliter, superiorius non potest summe perfici accidentaliter illa perfectione, nec alia, nisi excellentiori (ε).

Secundo probatur eadem minor: Quia quidquid est immediatum susceptivum alicujus accidentis (γ), si possit per se esse, posset per se recipere illud, et non aliud, nisi mediante illo. Ergo, si potentia animæ posset esse separata ab essentia, posset recipere beatitudinem, et per consequens esset beata; essentia autem non sine illa; et ita natura non intellectualis posset esse beata; quia accidens, et natura intellectualis manens in se non posset esse beata, quia carens immediato susceptivo beatitudinis.

Tertio ad idem. Quia natura intellectualis non esset beata nisi per accidens, sicut lignum calefacit quia calidum. Consequens est inconveniens: quia perfectio per accidens, non est essentialiter perfectio illius cuius est per accidens. Consequentia probatur: Quia ita inesset naturæ beatificabili beatitudo per accidens medium, sicut calefacere inest ligno mediante calore.

Quarto ad idem. Gloria est gratia (δ) consummata. Sed gratia est principaliter in essentia animæ, et redundat in potentia sub ratione habitus et virtutis. Ergo, etc.

Quinto. Quia beatitudo est per quemdam illapsum vel circumcessionem (ε) objecti beatifici respectu beatificabilis. Et iste illapsus, vel circumcessio (ζ), potius est in essentia quam in potentia. Nam ex illapsu in essentiam, redundat vel derivatur in

potentias; non autem e converso, quia a priori sit redundantia vel derivatio in posterius, et non econtra; illud enim est principalius tale, a quo aliud est tale, et non econtra. Assumplum probatur. Quia beatitudo principalius consistit in objecto increato, in quantum est bonum voluntatis creatæ. Ipsa autem anima, vel natura angelica, mediante voluntate transformatur, ut convertatur in illud, prout est possibile, vi amoris, secundum quod dicit Dionysius (*de Cœl. Hierarch.*, cap. 4 et 7), quia (α) amor est vis transformativa et conversiva amantis in amatum. Et Hugo, super illud (*Cœl. Hierarch.*, cap. 7), *calidum, acutum, et semper servidum* (δ): *Amor unum facere vult dilectum cum ipso, scilicet amante.* Et post: *Dilectivus (γ) ingerit se, ut, si fieri possit, hoc ipse sit quod ipse, scilicet quem (δ) amat; et sic miro quodam modo incipiat expelli et excire a se.* Ex his arguitur sic: Ut natura amans exeat ex se et incipiat esse quod amat, non potest (ε) fieri nisi per circumcessionem (ζ), non autem animæ aut naturæ creatæ illabentis divinitati (η), sed potius econtra, ut in natura tali nihil appareat nisi summa vel divine dispositiones, immo ut non appareat aliud esse quam Deus; sicut ferrum candens igne lucet et ardet ut ignis, quasi non sit nec appareat esse aliud quam ignis: — Haec Scotus.

II. Argumenta Henrici. — Contra eamdem conclusionem arguit Henricus, 13. *Quodlibeto*, q. 12, ubi querit: Utrum beatitudo principalius perficiat essentiam animæ vel potentiam. Et respondeat sic: Dicendum, inquit, quod, secundum Avicennam et alios philosophos, bonum quod est beatitudo hominis, non respicit essentiam animæ, sed solum potentiam, mediante operatione. Sed isti non viderunt veram (θ) beatitudinem, que consistit non solum in actu intellectus et voluntatis, in quibus non est nisi beatitudo creata, sed principalius consistit in objecto, quod est beatitudo increata, que Deus est, in quantum est bonum voluntatis, que se transformat in illud quantum possibile est secundum naturam, et hoc vi amoris, secundum quem elicitur ut habitu voluntatis volitio vera. Unde Hugo, super septimum capitulum *Cœlestis Hierarchie*, dicit: *Si enim in (ι) dilectum non vadis, adhuc foris amas.* Et sequitur: *Amor enim te facere vult unum cum illo: quoniam dilectio supereminet scientię, et major est intelligentia; plus enim diligitur quam intelligitur; et intrat*

(α) quia. — quod Pr.

(β) acutum, et semper servidum. — superservidum Pr.

(γ) Dilectivus. — Dilectus Pr.

(δ) quem. — qui Pr.

(ε) esse. — Ad. Pr.

(ζ) circumcessionem. — circumintroductionem Pr.

(η) illabentis divinitati. — illaberetur divinitas Pr.

(θ) veram. — unam Pr.

(ι) Si enim in. — sicut Pr.

(α) accidentium. — actuum Pr.

(β) excellentiori. — excellenti Pr.

(γ) alicujus accidentis. — accidentalitatis Pr.

(δ) Gloria est gratia. — Gratia est gloria Pr.

(ε) circumcessionem. — circumintroductionem, Pr.

(ζ) circumcesso. — circumintroductionis Pr.

dilectio et appropinquat; ubi scientia foris stat. Quod sit non per hoc quod homo illabatur divinitati, sed divinitas animae; sicut ferrum cadescit ex hoc quod ignis profundat se in ferro, et non per hoc quod ferrum profundat se in igne. Illapsus autem magis sit in essentia anime quam in potentiis; sicut gratia, et gloria, que est gratia consummata, principaliter est in essentia, et ex redundancia in potentiis, sub ratione habitus et virtutis. Per talēm enim illapsū anima inflammatur et illuminatur ardore charitatis, et prout est possibile, Dei formalitatem habet, ut quasi non sit nec appareat aliud esse quam Deus; sicut ferrum candens in igne lucet et ardet; ut quasi non appareat esse aliud quam ignis, nec distinctum quid ab eo. Deinde per derivationem divinitas illabitur potentiis, id est, substantia prout habet rationem potentiarum. Unde est unus illapsus; nec potest fieri illapsus in essentia, quia redundat in potentiis. Dico ergo quod beatitudo principalius perficit essentiam, quam potentias, quia in illa principalius habetur Deus, qui est beatitudo; et perficit illam quoadammodo per suam essentiam, potentias autem animae non nisi per illas operationes terminatas ad essentiam sub ratione veri et boni; licet perceptio hujus perfectionis non conveniat animam nisi per potentias. — Hare ille.

III. Argumenta Aureoli. — Contra eamdem conclusionem arguit Aureolus (dist. 49, q. 1, art. 1), probando quod beatitudo non consistat in operatione secundum suam rationem absolutam; prout est quicdam qualitas absoluta, sed potius prout est exhibitia objecti inesse presentiali.

Primo sic. Operatio nostra sub illa ratione est beatificativa; sub qua est satiativa (2); quia beatitudo est summa saetas, juxta illud Augustini. *Beatus est qui habet quidquid vult.* Sed operatio non est satiativa, ut est talis qualitas, sed ut exhibitia objecti beatifici inesse presentiali. Ergo, etc.

Major nota est, ei probata per Augustinum, 13. *de Trinitate* (cap. 5). Minor patet. Quia solum finis habet satiare, non autem illud quod est ad finem; ut sic; operatio autem, in ratione qua est qualitas, praecisa exhibitione objecti est ansa ad finem; et non ipse finis. Similiter, ut sic, est bonum finitum et limitatum; nullum autem tale bonum satiat. Item, ut sic, distinguunt a Deo, nullum autem bonum satiat nisi Deus; ex 1. *Confessionum* (cap. 1). Item, ut sic, multaque potentiam ad aliam operationem, puta alii visionem; non ergo, ut sic, continet omnem formam, et, per consequens, ut sic, non satiat. Ergo, per oppositum, ipsa satiat inquantum est finis; et hoc habet inquantum est exhibitiva finis; et, ut sic, est infinita, et sumnum bonum; et virtuiter continent omnes homines. Ista tamen non est satiativa. — instabilis Pr.

competunt operationi formaliter, sed extrinsecō, inquantum est exhibitiva summi boni et infiniti. Ex quo patet quod, ut sic, non relinquit potentiam ad aliud; quia omne bonum continetur eminenter (α) in eo quod exhibet.

Secundo sic. Philosophus, 1. *Ethicorum* (cap. 6), distinguit de bono (6); et dicit quod bonum accipitur pro utili; qualis est omnis bonitas ordinabilis in finem. Utterius, objectum beatificum, est ultimus finis; actus vero est finis sub fine. His suppositis, arguo sic: In omni ordinabili in finem, et in omni eo quod est finis sub fine, ratio ejus quod est ordinabile in finem, non accipitur penes absolutum, sed in connexione ad finem; quae connexio consistit in exhibitione ipsis finis. Hare propositio, appareat in exemplo. Si enim appeto potionem exhibentein sanitatem, non eam appeto propter absolutum, sed practice ut ordinatur et connectitur sanitati; si enim appeteretur ratione absoluti, jam non appeteretur propter aliud, sed propter se. Sed bonitas actus beatifici est bonitas ordinabilis in finem; nec appetitur propter se, sed propter aliud; nec beatificat propter se, sed propter objectum quod exhibet praesens. Ergo non beatificat, nec ratio ejus, inquantum est beatitudo sumi debet penes ejus absolutum, sed penes exhibitionem finis.

Confirmatur. Quia quando aliquid non competit aliqui per se et primo, sed per aliud, non competit sibi per rationem sui absoluti, sed ex connexione ad illud. Sed beatificare non competit operationi per se et primo, sed ex ratione objecti. Ergo, etc. Unde, si Deus facaret absolutum operationis sine exhibitione objecti, non beatificaret. Si autem, per impossibile, facaret exhibitionem objecti remoto absolute ipsum actus, beatificaret. Unde ex hoc potest sic argui: Illud essentialiter consistit in eo quo posito, et remoto omni alio ponitur, et quo remoto, omni alio posito, removetur. Sed sic est de exhibitione objecti. Ergo, etc.

Confirmatur. Quia secundum Augustinum (13. *de Trinitate*, cap. 5), *beatus est qui habet quidquid vult*, et *nihil male vult*; id est, qui habet quidquid recte vult. Ista autem habitio non consistit in absolute operationis, quia, illo volito, non ex hoc habetur voluntum omne (7) bonum; sed consistit in exhibitione objecti, qua exhibitione habetur presenti alter omne bonum in quadam ratione eminenti. — Hare Aureolus.

§ 2. CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM.

Argumenta Scoti. — Contra secundam conclusionem arguit Scotus (dist. 40, q. 6), probando quod visio beatifica non mensuretur eternitate;

(α) *eminenter* — *civilitate* Pr.

(6) 1. *Ethicorum* (cap. 6), *distinguit de bono*. — dicit, 1. *Ethicorum, de bono* Pr.

(7) *omne* — *esse* Pr.

Primo. Quia, secundum te, principium actus, quantum ad substantiam, est potentia; sed, secundum formam suam, principium ejus est habitus; et, si habitus sit insusus, perfectio actionis erit a causa exteriori, que causat habitum. Ex hoc arguitur sic: *Impossibile est actuū in quantum informatum, secundum quam rationem tu dicas actuū beatificum* (2), magis permanensem vel immutabiliorem esse quam secundum substantiam; quia impossibile est illud quod inest alicui (6) per accidens, esse immutabile eo cui inest. Ergo, si actus secundum substantiam mensuratur aevi, quia esse ejus, secundum te, mensuratur aevi, sequitur quod actuū in quantum informatus, vel habituatus, haberet majorem immutabilitatem quam aevi.

Item. Quia appareat manifeste falsum quod aliquid creatum mensuretur aeternitate, ut distinguitur contra aevum. Quia, si aevum includat successionem sive potentialitatem ad desciendum (7), hoc videtur competere cūlibet creato, quod non est proprie temporale. *Eternum enim, sicut est totum simul actuū, ita caret potentia non essendi.*

Tertio. Quia tua probatio non valet. Non enim sequitur: *Creatura intellectualis non potest ex suis naturalibus in beatitudinem; ergo beatitudo in sua natura est* (8) eminentior permanentie quam creatura intellectualis. Quia est accidens ejus; et, licet (9) tale accidens quod non consequitur principia subjecti, nec subest causalitati hujus subjecti, est tamen in se quoddam minus nobile et minus permanens.

Quarto. Quia non aliter visio quam tristitia damnatorum est aeterna. Patet, quia, Matth. cap. 25 (v. 41), dicitur, *Ite maledicti in ignem aeternum;* et multa talia ponuntur in Scripturis. Constat autem quod illa poena non est aeterna, aliqua aeternitate distincta ab aevio vel tempore perpetuo. Ergo consimiliter perpetuitas beatitudinis non est proprie aeternitatis, nec necessarii (10) esse, sed aevi, possibilis esse. Et non esse, tamen perpetuo conservari. *Hac ille.*

Et in hoc secundus articulus terminatur.

ARTICULUS III.

PONUNTUR SOLUTIONES

§ I. — AD ARGUMENTA CONTRA PRIMAM CONCLUSIONEM

I. Ad argumenta Scoti. — Quantum ad ter-

simum articulum, respondendum est objectionibus supra dictis. Et quidem

Ad primum Scotti contra primam conclusionem, dicitur primo, quod, sive loquamur de actione transiente, sive immanente, major est falsa. Quod patet: quia corpus naturale agens actione transiente, aliquam perfectionem et bonum consequitur ex actione sua, ut ostendit sanctus Thomas, *de Potentia Dei*, q. 7, art. 10, ubi sic dicit: « In relationibus que consequuntur actionem et passionem, sive virtutem activam et passivam, est semper mutuus ordo ex utraque parte in creaturis. Oportet namque semper illud quod habet rationem patientis et moti, sive causati, ordinem habere ad agens vel movens, cum semper effectus a causa persiciatur, et ab ea dependeat; unde ordinatur ad ipsum sicut ad suum perfectivum (2). Agentia autem, sive motientia, vel etiam causar, habent aliquem ordinem ad patientia vel motu vel causata, in quantum in ipso effectu vel passione vel motione inductis attenditur quoddam bonum et perfectio moventis vel agentis; sicut maxime patet in agentibus univocis, que, per actionem, suic speciei similitudinem inducunt; et, per consequens, esse perpetuum propriæ speciei, secundum quod est possibile, conservant. Patet hoc etiam idem in omnibus aliis que motu ordinantur ad aliquos effectus producentes; et similiter in omnibus in quibus quocunque bonum causa provenit ex effectu. » Hac ille. — Et de hoc amplius dicetur in sequentibus.

Dicitur secundo, quod, quidquid sit de actione transiente, tamen actio immanens persicit formaliter ipsum agens, et facit ipsum de imperfectioni perfectius. De hoc sanctus Thomas, I^a 2^o, q. 3, art. 2, in solutione tertii, sic dicit: « Sicut dicitur in 9. *Metaphysica* (t. c. 10), duplex est actio. Una qua procedit ab operante in exteriorem materiam sicut urere, et secare. Et talis operatio non potest esse beatitudo; nam talis actio non est perfectio agentis, sed magis patientis; ut ibidem dicitur. Alia est actio manens in ipso agente: ut sentire, intelligere, velle. Et hujusmodi actio est actus et perfectio agentis. Et talis operatio potest esse beatitudo. » Hac ille. — Item, ibidem, in principali responsione, sic dicit: « Secundum quod beatitudo hominis est aliquid creatum in ipso existens, necesse est dicere quod beatitudo hominis sit operatio. Est enim beatitudo ultima hominis perfectio. Unumquodque autem in tantum perfectum est; inquantum est in actu; nam potentia sine actu imperfecta est. Oportet ergo beatitudinem in ultimo actu consistere. Manifestum est autem quod operatio est ultimus actus operantis; unde et actus secundus a Philosopho nominatur in 2. *de Anima* (t. c. 2); nam habens formam potest

(2) beatificum. — beatitatum esse Pr.

(6) quod inest alicui. — cui inest aliquid Pr.

(7) desciendum. — diffiniendum Pr.

(8) est. — Om. Pr.

(9) licet. — Om. Pr.

(10) aeternitatis, nec necessarii. — aeternitas, nec necesse Pr.

(2) perfectum. — perfectissimum Pr.

esse in potentia operans, sicut sciens est in potentia considerans; et idem est in aliis rebus, quarum unaquaque dicitur esse propter operationem, ut dicitur in 2. Cœli (t. c. 17). Necesse est ergo beatitudinem hominis operationem esse. » — Hæc ille.

— Similia dicit, 4. *Sentent.*, ut patet in probatione conclusionis. Item, 3. *Contra Gentiles*, cap. 25, sic dicit: « Cum autem omnes creature, etiam intellectu carentes, in Deum ordinantur sicut in ultimum finem, ad hunc autem finem pertingant (x) omnia, inquantum de similitudine ejus aliquid participant, intellectuales creature aliquo speciali modo ad ipsum pertingunt (y), scilicet per propriam operationem intelligendo ipsum; unde oportet quod intelligere Deum sit ultimus finis intellectualis creature. Ultimus enim finis cuiuslibet rei Deus est. Intendit ergo unumquodque Deo conjungi sicut ultimo fini, quantum est magis sibi possibile. Vici-nius autem conjungitur Deo aliquid per hoc quod ad ipsam substantiam ejus aliquo modo pertingit, quod fit dum aliquid cognoscit de divina substantia, quam dum consequitur aliquam ejus similitudinem. Substantia ergo intellectualis tendit in divinam cognitionem sicut in ultimum finem. — Item, Propria operatio cuiuslibet rei est finis ejus: est enim secunda perfectio ejus; unde quod ad propriam operationem bene se habet, dicitur bonum et virtuosum. Intelligere autem est propria operatio substantiae intellectualis. Ipsa ergo est finis ejus. Quod ergo est perfectissimum in hac operatione, hoc est ultimus finis; et præcipue in operationibus quæ non ordinantur ad aliqua operata, sicut est intelligere et sentire. » Vide ibi. Et nota, ibidem, cap. 22, quomodo omne agens, vel producens, vel movens, qualicunque actione vel motu, in hoc quod agit, aliquam perfectionem consequitur, quia scilicet per hoc assimilatur Deo, qui non solum est bonus in se, sed est causa bonitatis in aliis. Unde, in principio capituli, sic dicit: « Ex premissis manifestum esse potest quod ultimum per quod unaquaque res ordinatur ad finem, est ejus operatio; diversimode tamen, secundum diversitatem operationis. Nam quedam operatio rei est ut (y) aliud moventis, sicut calefacere et secare. Quedam vero est operatio rei ut ab alio motae, sicut calefieri et secari. Quedam vero operatio est perfectio operantis actu existentis, in aliud transmutandum non tendens. Hujusmodi autem operatio est sicut intelligere, sentire et velle, etc. » Lege totum capitulum.

Dicitur tertio, quod prima probatio majoris non valet: quia agens producens effectum univocum, vel equivocum, per talam productionem perficitur in hoc quod, sic producendo, attingit suumulti-

mum finem, qui est perfectior omni tali agente et actione et effectu. Unde sanctus Thomas, 3. *Contra Gentiles*, cap. 22, ad propositum optime sic dicit: « Corporum cœlestium, inquantum mota movent, finis motus eorum est consequi divinam similitudinem in hoc quod sint aliorum causa. Sunt autem causæ aliorum per hoc quod causant generationem et corruptionem et alios motus in istis inferioribus. Motus ergo corporum cœlestium, inquantum movent, ordinantur ad generationem et corruptionem in istis inferioribus. Non est autem inconveniens quod corpora cœlestia moveant ad generationem horum inferiorum, quamvis hæc inferiora corpora sint cœlestibus corporibus indigniora, cum tamen finem oporteat esse potiorem eo quod est ad finem. Generans enim (z) agit ad formam generati, cum tamen generatum non sit dignius generante, licet in agentibus univocis sit ejusdem speciei cum ipso. Intendit enim generans formam generati, quæ est finis generationis, non quasi ultimum finem, sed similitudinem esse divini in perpetuatione speciei et in diffusione bonitatis sue, per hoc quod aliis formam sue speciei tradit, et aliorum fit (z) causa. Similiter autem corpora cœlestia, licet sint digniora inferioribus corporibus, non tamen intendunt generationem eorum et (y) formas generatorum in actum educere per suos motus, quasi ultimum finem, sed per hoc ad divinam similitudinem intendentis quasi ad ultimum finem, in hoc quod causæ aliorum existant. » — Hæc ille. — De hoc vide amplius, *de Potentia Dei*, q. 5, art. 5, per totum.

Dicitur quarto, quod secunda confirmatio adducta ad probationem dictæ majoris, non valēt. Tum quia Philosophus, 7. *Physicorum* (t. c. 18 et seq.), negat consequentiam ibidem factam: *Hoc perficitur, ergo alteratur vel mutatur*; sicut probat ibidem de acquisitione scientiarum, virtutum, vitiorum, et universaliter qualitatum de prima et quarta specie. Tum quia non est inconveniens dicere, omne agens creatum, cum de otio exit in operationem, aliquo modo mutari; sicut dicit Philosophus, ibidem. Unde sanctus Thomas, 1. *Sentent.*, dist. 8, q. 3, art. 1, in solutione quarti, sic dicit: « In omnibus in quibus operatio differt a substantia, oportet esse aliquem modum motus ex hoc quod exit de novo in operationem; quia acquiritur in ipso operatio, quæ prius non erat, etc. » — Hæc ille. — Cum autem dicit arguens, quod inconveniens est agens, in eo quod agens, mutari, etc.; — dicitur quod etiam ipse Deus, inquantum intelligit et vult, dicitur se mouere, motu qui est actus perfecti, licet non motu qui est actus imperfecti. De hoc video sanctum Thomam, 1 p., q. 18, art. 3 (ad 1^{um}).

Dicitur quinto, quod alia confirmatio non valet;

(x) pertingant. — pertingunt Pr.

(y) pertingunt. — pertincent Pr.

(z) est. — Ad. Pr.

quia responsio ibidem recitata sufficiens est. Beatus Thomas enim ponit eam, presenti distinctione, q. 1, art. 2, q^a 2, in solutione secundi, ubi sic dicit : « In actu duo consideranda sunt : scilicet actus substantia, et forma ipsius, a qua perfectionem habet. Actus ergo secundum suam substantiam principium est naturalis potentia ; sed secundum suam formam principium est ejus habitus. Si ergo habitus ille sit acquisitus, totaliter nostri actus causa erimus ; si vero fuerit infusus, ejus perfectio erit a causa exteriori, quæ habitum causat. Actus autem noster non ponitur esse beatitudo, nisi ratione sue perfectionis, ex qua habet quod fini exteriori nobilissime conjugat. Et ideo nostrae beatitudinis non sumus nos causa, sed Deus. » — Haec ille.

Tunc ad primam improbationem hujus responsionis, dicitur quod non est imaginandum quod in actu beatifico, seu visione beata, sint intrinsece duo absoluta realiter distincta, quorum unius principium sit intellectus, et alterius principium sit lumen gloriae, aut alijs habitus, vel species creata, aut divina essentia supplens vicem speciei ; sed sic quod illa visio beatifica habet in se duo distincta secundum rationem. Primum est, quod ille actus in generali est intellectio, cognitio, visio, et hujusmodi ; et, secundum hanc considerationem, principium ejus est intellectus, quia actus vitalis est a principio intrinseco, et actio immanens idem habet pro subiecto et pro agente. Secundum est, quod talis actus est intellectio, vel cognitio, vel visio talis objecti in speciali ; et hoc habet non quidem a potentia intellectiva, sed ab habitu, vel specie, vel aliquo supplente vicem speciei, quod determinat actum ipsius potentiae ad tale objectum ; sicut patet in simili de intellectione lapidis, vel specie ejus intelligibili, quæ a potentia intellectiva habet quod immaterialis sit et intellectualis, sed a phantasmate habet quod sit species talis objecti determinata ; sicut ostendit sanctus Thomas diffuse, 2. *Contra Gentiles*, cap. 76, per totum. Item, in presenti distinctione, q. 2, art. 1, in solutione decimiquinti argumenti, sic dicit : « Medium in visione corporali et intellectuali invenitur duplex. Primum est medium sub quo videtur ; et hoc est quod perficit visum ad videndum in generali, non determinans visum ad aliquod speciale objectum ; sicut se habet lumen corporale ad visum corporalem, et lumen intellectus agentis ad intellectum possibilem (a). Secundum est medium quo videtur ; et hoc est forma visibilis, qua determinatur uterque visus ad speciale objectum ; sicut per formam lapidis ad cognoscendum lapidem, etc. » Dicitur ergo ad argumentum, quod totus actus visionis beatifica, secundum quoddlibet sui absolutum, est ab utroque, scilicet a potentia intellectiva, et ab habitu gloriae et ab eo quod supplet vicem spe-

ciei, scilicet divina essentia ; sed a potentia habet quod sit cogitatio vel intellectio in generali, ab habitu autem vel specie quod sit visio determinata talis objecti, ita quod secundum diversas rationes est ab eisdem. Et quia secunda consideratio est formalior et determinatior, ideo sanctus Thomas dicit quod actus ille secundum substantiam suam est a potentia naturali, et secundum suam formam est ab habitu. Unde patet quod arguens non capit in hoc casu sanctum Thomam.

Ad secundam improbationem patet per idem : quia forma de qua sanctus Thomas loquitur, non est aliquid absolutum distinctum a substantia ipsius actus ; sed ipsem actus secundum unam considerationem est formalis ad seipsum, et secundum aliam materialis, sicut patet de anima humana.

Ad tertiam patet per idem. Dicitur enim quod habitus, vel species intellectualis, non est causa aliquius absoluti realiter distincti ab eo cuius principium est naturalis potentia ; sed bene est causa aliquius absoluti per se secundum unam rationem considerati, cuius principium non est naturalis potentia per se quantum ad illam rationem. Et quia relatio beatificativi per se consequitur actum visionis prout terminatur ad objectum beatificum, et non per se ut respicit subjectum et ut est talis cognitio in speciali ideo et (z) cognitio in generali, nec ut egreditur a potentia intellectiva ; habitus vero et forma intellectualis quibus elicetur visio beatifica, sunt causa illius actus prout terminatur ad tale objectum ; ideo relatio beatificativi non consequitur illum actum ut est a potentia sola, sed ut est simul a potentia et ab habitu gloriae et a forma intellectuali quæ elicetur visio. Et ita non sequitur quod intellectus beatificet se, licet communicet actuum beatificum.

Ad secundum primitale, neganda est simpliciter major. De hoc sanctus Thomas, 1^a 2^a, q. 71, art. 3, sic dicit : « Habitus medio modo se habet inter potentiam et actu. Manifestum est autem quod actus est in bono et in malo praeminet potentiae, ut dicitur, 9. *Metaphysicæ* (t. c. 19) : melius est enim bene agere, quam posse bene agere ; et similiter vituperabilis est male agere, quam posse male agere. Unde etiam sequitur quod habitus in bonitate et malitia medium gradum obtineat inter potentiam et actu : ut scilicet, sicut habitus hominis bonus vel malus praeminet in bonitate vel malitia potentiae, ita etiam subdatur actu. Quod etiam ex hoc apparet, quod habitus non dicitur bonus vel malus nisi ex hoc quod inclinat ad actu bonum vel malum. Unde propter bonitatem (6) vel malitiam actus dicitur habitus bonus vel malus. Et sic potior est actus in bonitate vel malitia quam habitus. » — Haec ille.

(a) ideo et. — respondeo nihil est Pr. — Postiores editiones ponunt ideo est

(6) bonitatem. — voluntatem Pr.

(a) possibilem. — potentiam Pr.

Tunc ad primam probationem majoris, dicitur quod non probat nisi quod habitus secundum quid est potior actu. Unde sanctus Thomas, ubi supra (1^a 2^e, q. 71, art. 3, ad 1^{um}), sic respondet ad illud argumentum : « Dicendum, inquit, quod nihil prohibet aliquid esse altero simpliciter potius, quod tamen secundum quid ab eo deficit. Simpliciter enim potius judicatur quod preeminet quantum ad illud quod per se consideratur in utroque; secundum quid autem, quod preeminet quantum ad id quod per accidens se habet ad utrumque. Ostensum est autem, secundum ipsam rationem actus et habitus, quod actus est potior in bonitate vel malitia quam habitus. Quod ausem habitus sit diuturnior quam actus, accedit ex eo quod utrumque invenitur in tali natura, que non potest semper agere, et cuius actio est in motu transeunte. Unde simpliciter actus potior est tam in bonitate quam in malitia; sed habitus est potior secundum quid. » — Haec ille.

Ad secundam probationem ejusdem majoris, respondet ibidem, in solutione tertii, dicens quod « habitus est causa actus in genere causæ efficientis; sed actus est causa habitus in genere causæ finalis, secundum quam consequitur ratio boni et mali. Et ideo in bonitate et malitia actus preeminet habitui. » — Haec ille. — Cum autem dicit arguens, quod causa efficiens æquivoca, est nobilior suo effectu; — dicitur quod hoc est verum de causa efficiente totali et principali, non autem de causa partiali et instrumentalí. Habitum autem non est causa totalis actus, nec principalis, nec primaria. Posset etiam dici quod habitus non est causa actus univoca, nec æquivoca, proprie loquendo: quia illa divisio datur de causa principali, et non de causa instrumentalí; sicut in simili dicit sanctus Thomas de virtute sacramento rum, dist. 1. Quarti, q. 1, art. 4, q^{la} 1, in solu tione quarti argumenti.

Ad tertium principale dicitur quod respectus operationis ad objectum necessario innascitur vel manet, posito (α) vel manente suo subjecto, fundamento et termino, potissime in ratione objecti. Et quia operatio beatifica nullo modo potest manere in suo proprio et principali subjecto, non manente objecto suo et præsente ipsi intellectui in ratione objecti, cum essentia divina sit formale elicitorum illius operationis unita potentiae intellectivae per modum speciei intellectualis, ideo implicant contradictionem quod talis operatio in suo proprio et principali subjecto maneat sine respectu ad objectum.

Ad quartum, negatur minor. Et ad primam probationem ejus, dicitur quod, licet essentia animæ secundum unam considerationem sit perfectior quam suæ potentiae, prout scilicet essentia est substantia et subsistit, potentiae vero sunt accidentia

non subsistentia sed inherenter; tamen, secundum aliam considerationem, potentiae animæ, præsertim intellectus et voluntas, sunt perfectiores et nobiliores ipsa essentia animæ, inquantum scilicet comparantur ad eam ut actus ad potentiam. Et, quocumque modo sit de hoc, verumtamen essentia animæ considerata ut actuata potentis suis, est quid perfectius quam considerata ut in se nuda; et ideo ipsa ut sub potentis, est perfectius susceptibile et perfectibile et majorum perfectionum quam considerata in se, ut precedit potentias. Ideoque illa probatio non valet: quia falsa imaginatur, quod operatio beatifica recipiatur in potentia animæ, et non in essentia; perfectius enim, licet non immediatus, recipitur in essentia quam in potentia, ut post dicetur. Et de hoc alias (α) saepe dictum est, quomodo potentia animæ sit subjectum alicujus accidentis. Super hoc vide sanctum Thomam, de Virtutibus, q. 3, ubi querit, Utrum potentia animæ possit esse subjectum virtutis; et, 1^a 2^e, q. 50, art. 2.

Ad secundam probationem ejusdem minoris, dicitur quod, cum potentiae animæ sint naturales proprietates et proprie passiones animæ, non videatur quod sint separabiles ab ipsa essentia animæ; et sic imaginatio illa non valet. Item, posito, sed non concesso, quod potentiae animæ essent separabiles ab anima, non tamen sequitur quod potentia animæ taliter separata posset beatificari: quia ipsa non est principale nec substantiale susceptivum, nec elicitivum beatitudinis; nec operatio beatifica, cum sit actio immanens et vitalis, posset in tali accidente separato recipi. Item, dato quod posset recipi in tali subjecto, sub ratione qua est visio aut volitio, ita quod illud accidentes per eam videret aut vellet aut vitaliter operaretur, non tamen sub ratione qua est beatitudo, sed forte sub alia ratione: sicut etiam nunc, licet intellectus beati Petri sit immediatum susceptivum visionis beatificæ, non tamen intellectus proprie dicitur beatus, sed anima; quia non videt ut quod, sed ut quo anima videt. Et multas alias imperfectiones haberet tale accidentes si separatum, propter quas non posset dici beatum. Item, dato quod aliquo modo posset dici beatum, non tamen proprie nec simpliciter, sed impropre et secundum quid.

Ad tertiam probationem dictæ minoris, negatur prima consequentia ibidem facta: quia potentia animæ, licet se habeat ad essentiam animæ ut accidentis ad subjectum, tamen est ejus naturalis proprietas, consequens eam inseparabiliter; et est ei per se ratio agendi, et ratio recipiendi actus primos.

(α) Cfr. 1. Sentent., dist. 3, q. 3, art. 2, C, § 1, I, ad 2^{um}, et III, ad arg. Occam; item, 3. Sentent., dist. 5, q. 2, art. 3, ad 9^{um}, ad quintam probationem; item, 4. Sentent., dist. 1, q. 1, art. 3, § 3, III, ad 2^{um}, in fine; item, 4. Sentent., dist. 4, q. 1, art. 3, § 4, I, ad 4^{um}; item, 4. Sentent., dist. 12, q. 1, art. 3, § 1, II, ad 1^{um}.

et secundos supervenientes, ita ut natura intellectualis sit principale agens et recipiens, et potentia non est *quod agit*, nec *quod recipit*, sed *quo agitur* et recipitur. Similitudo autem quam adducit arguens, de ligno calido, non est ad propositum, propter multa: tum quia calor non inest ligno nisi violenter et de per accidens, et nullo modo per se; tum quia calor non potest esse principium actionis immaterialis; et ideo non valet similitudo.

Ad quartam probationem dicitur quod, accipiendo gloriam pro beatitudine, gratia consummata (α) potest dici gloria, ut sit prædicatio per causam, non per essentiam: quia scilicet habitus gratiae consummatæ est principium actuum (δ) beatificorum, sicut nunc est principium actuum (γ) meritoriorum. Et ideo non sequitur quod actus beatificus sit subjective immediate in eodem subjecto in quo est gratia, quæ immediate perficit essentiam animæ, ut ostendit sanctus Thomas, 1^a 2^a, q. 110, art. 4. Verumtamen, proprie loquendo, non omnis gloria est beatitudo, sed solum gloria quæ consistit in actu secundo immediate attingente divinam essentiam; sicut in simili dicit sanctus Thomas, præsenti distinctione, q. 4, art. 2, in solutione tertii, ubi sic: « *Visio*, inquit, dupliciter potest accipi. Uno modo actualiter, id est, pro ipso actu visionis; et sic visio non est dos, sed ipsa beatitudo. Alio modo potest accipi habitualiter, et pro habitu quo talis operatio elicetur, id est, pro ipsa gloriæ claritate, qua anima divinitus illustratur ad Deum videndum; et sic dos est et (δ) principium beatitudinis, non autem est ipsa beatitudo. » — Hæc ille.

Ad quintam dicetur respondendo ad dicta Henrici.

II. Ad argumenta Henrici. — Ad objecta Henrici, respondet Bernardus de Gannato, impugnando prædictum *Quodlibet*. Sic dicit: « Non videtur quod beatitudo principius perficiat essentiam animæ quam potentias, modo quo Henricus dicit: *quia certum est* quod anima non beatificatur nisi secundum quod attingit Deum aliter quando est beata quam antequam esset beata; sed, antequam esset beata, attingebat Deum per illapsum, quia ita perfecte Deus illabitur animæ ante beatitudinem sicut post; ergo in illa attingentia oportet quod consistat beatitudo; et hoc non est nisi per operationem, quæ immediatus respicit potentias quam essentiam; et ideo immediatus beatificantur potentiae. Nihilominus tamen adhuc principalius beatificatur (ϵ) essentia quam potentia (ζ), sed non

(α) consummata. — consummati Pr.

(δ) actuum. — activum Pr.

(γ) actuum. — activum. Pr.

(δ) et. — Om. Pr.

(ϵ) beatificantur. — beatificantur Pr.

(ζ) potentia. — potentiae Pr.

(α) velut. — vel Pr.

(δ) neverint. — moverant Pr.

secundum modum prædictum, sed secundum aliud: quia, licet anima per potentias immediate attingat Deum, tamen ipse potentiae non sunt operantes principaliter, sed velut (α) instrumentaliter, ut ratio agendi ex parte agentis; operatio autem principalius aptatur agenti quam rationi agendi, sicut calefactio igni magis quam calori; et ideo principalius beatificantur essentia quam potentia. — Si dicatur quod aliter illabitur Deus animæ beatæ quam ante, quia ante non illabitur per modum objecti, sed beatæ illabitur per modum objecti, — non mutat propositum: quia, esto quod illabitur per modum objecti quando est beata, nihilominus anima non attingit ipsum ut objectum nisi per potentias; et sic adhuc immediatus beatificantur potentiae, licet anima principalius. Tamen non concederetur quod Deus illabitur animæ per modum objecti. Unde ratio illapsus est eadem in anima beatæ et non beatæ, et etiam in omni creatura, quæ est infinitas divinæ simplicitatis. — Quod ergo dicit, quod philosophi qui posuerunt beatitudinem in operatione consistere, non neverunt veram beatitudinem; — dicendum quod, licet non neverint (δ) quod in clara Dei visione beatitudo consistit, tamen, sicut ipsi posuerunt beatitudinem formaliter consistere in operatione, et objective in Deo, sic et nos in clara Dei visione ponimus formalem beatitudinem et essentiam, licet objectivam in Deo, quæ non est nostra beatitudo increata, nisi secundum quod attingitur a nobis per operationem potentiarum. Quod patet: quia certum est quod modus nostræ beatitudinis debet accipi secundum modum beatitudinis divinæ, quæ est prima et naturalis beatitudo; sed Deus non dicitur esse beatus eo quod est in se, sed eo quod cognoscit se et fruitur se; ergo nos non dicemur beati ex eo quod Deus est in nobis absolute, sed eo quod clare videamus eum et fruimur eo. — Praeterea: communissimus modus quo Deus est in creaturis, non potest esse specialis ratio per quam homo est beatus; sed illapsus est communissimus modus quo Deus est in creaturis; ergo non potest esse ratio qua essentia animæ sit beata. Unde iste illapsus aliud operatur quam beatitudinem, scilicet conservationem rei et operari. — Quod dicit de ferro candente, — dicendum quod multo simplicius illabitur Deus animæ quam ignis ferro, si tamen ignis sit, et non magis excessus caloris. Sed hoc simile nihil valet ad beatitudinem, cum beatitudo non fiat per illapsum, ut ostensum est. — Quod autem dicitur, quod prius illabitur animæ quam potentias, — verum est; sed nihil facit ad beatitudinem, quæ non est per illapsum. — Quod autem dicit de gratia et gloria, non valet ad propositum: quia gratia et gloria (quæ non est aliud quam gratia consummata)

(α) velut. — vel Pr.

(δ) neverint. — moverant Pr.

non sunt operationes, sed quidam habitus animam elevantes et acceptam Deo reddentes; beatitudo autem vera, de qua loquimur, in operatione, non in habitu consistit; et ideo, licet gratia et gloria (qua est gratia consummata) sint prius in essentia anime, tamen beatitudo per prius est in potentis, etc. » — Haec Bernardus, et bene.

III. Ad argumenta Aureoli. — Ad argumenta Aureoli contra eamdem conclusionem, dicitur quod proprie non militant contra conclusionem, sed exponunt et declarant intellectum ejus. Ubi notandum quod in operatione beatifica quatuor attendi possunt. Primum est sua quidditas (*z*) et entitas absoluta; secundum est esse suum, per modum inherentiae; tertium est respectus ad subjectum, vel potius ejus proprium subjectum, quid et quale sit; quartum est respectus ad objectum beatificum. Secundum primam considerationem, habet quod sit beatificativa in potentia naturae intellectualis formaliter, tanquam potissima perfectio receptibilis in eadem formaliter, et sibi convenientissima. Sed ex hoc, sine pluri, non habet quod actu beatificet: sicut nec albedo ex sua absoluta essentia habet, praeciso omni alio, quod actu dealbet, quia, si non informaret subjectum, non dealbaret; et, a simili, visio Dei, si, per possibile vel impossibile, separaretur ab omni subjecto, non beatificaret actu; esset tamen beatificativa in potentia, puta si informaret subjectum proportionatum. Quantum ad secundam considerationem, scilicet quoad suum esse, patet per predicta. Quia, si habet esse subsistens et separatum ab omni subjecto, nihil beatificat formaliter in actu: sicut quantitas subsistens nihil quantificat, sed, si inheret, quantificat formaliter; et (*b*) similiter albedo. Si autem talis visio creata inhereat, et habeat (*c*) esse sue naturae debitum, tunc beatificat formaliter: ita quod natura rationalis, sine tali essentia, et sine tali esse, non potest esse formaliter beata. Quantum ad tertiam considerationem, scilicet quoad respectum ad subjectum, dicitur quod talis visio non est nata beatificare indifferenter quoddlibet subjectum, sed solum subjectum sibi proportionatum, quod est forma, vel natura substantialis, vivens (*d*), intellectualis, ad imaginem Dei facta; unde, si per impossibile, ponetur in aliquo accidente separato, vel in aliqua substantia non intellectuali, nec facta ad imaginem Dei, puta in lapide, non ex hoc beatificaret tale subjectum. Quantum ad quartam considerationem, scilicet quoad respectum ad objectum, dicitur quod talis respectus consideratus quoad habitudinem

medianam inter suum fundamentum et terminum, nullo modo beatificat; sed consideratus ex parte sui fundamenti, quod est visio, et ex parte sui termini, quod est objectum, habet quod sit completivum beatitudinis formalis, in quantum scilicet est conjunctio perfectissima nature intellectualis cum suo perfectissimo objecto per actum perfectissimum, et est exhibitio beatitudinis objectivae: non tamen qualicunque presentia, ut dictum est contra Henricum, sed tali presentia qua est terminus et objectum visionis et fruitionis; quia nulla alia presentia sufficit ad beatitudinem.

De omnibus istis sanctus Thomas, presenti distinctione, q. 1, art. 2, q^{ta} 4, in solutione quinti, sic dicit: « Quamvis omne accidens, in quantum hujusmodi, sit substantia ignobilis; tamen aliquod accidens, quantum ad aliquid, potest esse substantia dignius. Accidens enim potest considerari duplenter. Uno modo, secundum quod inheret subjecto, ex quo habet rationem accidentis; et sic omne accidens est indignius substantia. Alio modo potest considerari in ordine ad aliud extra; et sic aliquod accidens potest esse substantia nobilis, in quantum per ipsum aliqua substantia conjungitur nobiliori se. Et hoc modo beatitudo creata, et gratia, et hujusmodi, sunt aliquid nobilis nature anime cui inherent. Est etiam alia consideratio, secundum quam omne accidens substantia nobilis est, in quantum scilicet substantia comparatur ad accidens sibi inherens ut potentia ad actum. » — Haec ille. — Et similia dicit in multis locis. Ex quibus patet quod operatio creata, quam dicimus esse formalem beatitudinem, ex hoc completere formaliter beatificat, quia conjungit Deo tanquam objecto. Et sic predicta quatuor requiruntur ad formalem beatitudinem naturae creatae; nec alterum illorum sufficit sine reliquis tribus.

§ 2. — AD ARGUMENTA CONTRA SECUNDAM CONCLUSIONEM

Ad argumenta Scoti. — Ad primum Scotti contra secundam conclusionem, dicitur quod fundatur in falso. Supponit enim quod sanctus Thomas opinetur quod operatio beatifica quantum ad substantiam mensuretur aeo, et quantum ad suam perfectionem vel formam mensuretur aeternitate; hoc autem sanctus Thomas nuncquam somniavit. Et ideo argumentum non procedit. Verumtamen sanctus Thomas ponit quod esse angeli vel anime rationalis mensuratur aeo, et eorum essentia vel substantia mensuratur ipso *mone* aeo; operatio autem beatifica mensuratur aeternitate, non quasi mensura adaequata, sed per quamdam participationem. Unde, si contra hoc intendat arguens concludere, dicitur ad argumentum, negando antecedens, tanquam omnino falsum: quia nullum accidens est proprie-

(*a*) *quidditas.* — *qualitas* Pr.

(*b*) *et.* — *nec* Pr.

(*c*) *habeat.* — *habet* Pr.

(*d*) *vivens.* — *univers* Pr.

loquendo mutabile, et tamen subiectum ejus est mutabile. Potissimum in proposito : substantia angeli multipliciter mutabilis est, utpote subiectum diversarum mutationum existens secundum cogitationes et (x) volitiones; sed operatio beatifica dicitur immutabilis tripliciter : tum quia, cum sit actus secundus, et nihil habens de potentia passiva, non potest esse subiectum motus aut mutationis; tum secundo, quia per nullius creature solam vel principalem potentiam potest incipere aut desinere augeri vel minui, intendi aut remitti, aut quomodolibet variari; tum tertio, quia est operatio deiformis (6) quidem et supernaturalis, et participatio divine operationis et divine immutabilitatis et divinae simultatis. Et ad hoc faciunt verba sancti Thomae, praesenti distinctione, q. 1, art. 2, q^ub³, in solutione tertii, ubi sic dicit : « Aeternitas non est communicabilis homini ita quod sit ejus mensura adequata, vel aliquis quod in ipso est. Potest tamen homini communicari secundum quicquam participationem : ut, sicut homo fit (7) particeps divine operationis in videndo Deum, ita fiat (8) particeps aeternitatis, qua divina operatio mensuratur. Et sic ipsa ejus operatio dicitur vita aeterna. » — Hec ille.

Ad secundum patet per predicta : quia procedit de aeterno per essentialiam, et non de aeterno per participationem. Ad hoc enim quod aliquid possit dici aeternum per participationem, non requiritur carensia omnimoda potentie non essendi, sed sufficit immutabilitas supradicta.

Ad tertium dicitur quod probatio conclusionis bene intellecta valet : quia non solum stat in hoc quod est aliquid improducibile a creatura; sed, ultra hoc, quia est quedam participatio divine vite, divine beatitudinis, divine operationis et immutabilitatis.

Ad quartum dicitur quod major est manifeste falsa et erronea. Unde sanctus Thomas, ubi supra dist. 49, q. 1, art. 2, q^ub³, in solutione quarti argumenti, sic dicit : « Vita aeterna que a sanctis habebitur, dicitur secundum participationem aeternitatis, non solum quantum ad defectum finis (per quem modum etiam damnatorum pena dicitur aeterna), sed ulterius quantum ad remotionem omnis mutationis, non solum in actu (quam etiam aevum includit), sed etiam in potentia : quia sancti, ex hoc quod Deo adhaerent, stabilitatem ex divino numerere consequuntur, ut scilicet transmigrari non possint; quod Deus habet ex natura, ratione cuius dicitur aeternus. » — Hec ille. — Et ad probacionem majoris, respondet sanctus Thomas, I p. q. 10, art. 3, in solutione secundi, ubi sic dicit : « Ignis inferni dicitur aeternus propter interminabilitatem

(x) cogitationes et. — cogitationis Pr.
(6) deiformis — diformis Pr.
(7) fit. — sit Pr.
(8) pat. — sit Pr.

tantum. Est tamen in poemis eorum transmutatio, secundum illud Job. 24 (v. 19) : « *Ad nimium calorem transibunt ab aquis nivium*. Unde in inferno non est vera aeternitas, sed magis tempus, secundum (9) illud Psalm. (80, v. 16) : *Erit tempus eorum in saecula*. » — Hec ille.

Ad argumentum contra questionem (6), patet solutio per predicta.

Et haec de questione sufficient. De qua benedictus Deus. Amen.

QUESTIO II.

UTRUM BEATITUDO ULTIMA HOMINIS CONSISTAT ESSENTIALITER IN ACTU INTELLECTUS

GLTERIES, circa eandem distinctionem, queritur: Utrum beatitudo ultima hominis consistat essentialiter in actu intellectus.

Et arguitur quod non. Quia beatitudo ultima hominis consistit in perfecta coniunctione hominis ad Deum. Sed perfectius homo Deo conjungitur per voluntatem quam per intellectum. Unde dicit Hugo de sancto Victore in aliquo (7) capitulo (cap. 7), *Calestis Hierarchiae*, (super illud, *Mobile, et acutum*, etc.): *Dilectio supereminet scientiae, et maior est intelligentia. Plus enim Deus diligitur quam intelligatur; intrat dilectio ubi scientia foris stat.* Ergo beatitudo magis consistit in dilectione quam in cognitione, et in voluntate quam in intellectu.

In oppositum arguitur. Quia, Johan. 17 (v. 3), dicitur : *Hoc est vita aeterna, ut cognoscant te verum Deum, et quem misisti Jesum Christum.* Sed vita aeterna est beatitudo. Ipsa ergo beatitudo in cognitione consistit.

In hac questione erunt tres articuli. In primo ponentur conclusiones. In secundo, objectiones. In tertio, solutiones.

ARTICULUS I. PONUNTUR CONCLUSIONES

Quantum ad primum articulum, sit

Prima conclusio: *Quod ultima hominis felicitas, vel beatitudo, non consistit essentialiter in aliquo actu voluntatis.*

Hanc ponit sanctus Thomas, praesenti distinctione, q. 1, art. 1, in solutione secunde questionis (1) secundum. — unde Pr.
(2) questionem. — concursationem Pr.
(3) aliquo. — alio Pr.